

## PETRONE

## Satyricon

[LXXXIII] In pinacothecam perueni uario genere tabularum mirabilem. Nam et Zeuxidos manus uidi nondum uetustatis iniuria uictas, et Protogenis rudimenta cum ipsius naturæ ueritate certantia non sine quodam horrore tractaui. Iam uero Apellis quam Græci μονόκνημον appellant, etiam adoraui. Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem præcisæ, ut crederes etiam animorum esse picturam. Hinc aquila ferebat cælo sublimis Idæum, illinc candidus Hylas repellebat improbam Naida. Damnabat Apollo noxias manus Iyamque resolutam modo nato flore honorabat. Inter quos etiam pictorum amantium uultus tanquam in solitudine exclamaui : "Ergo amor etiam deos tangit. Iuppiter in cælo suo non inuenit quod diligeret, sed peccaturus in terris nemini tamen iniuriam fecit. Hylan Nympha prædata temperasset amori suo, si uenturum ad interdictum Herculem credidisset. Apollo pueri umbram reuocauit in florem, et omnes fabulæ quoque sine æmulo habuerunt complexus. At ego in societatem recepi hospitem Lycurgo crudeliorem." Ecce autem, ego dum cum uentis litigo, intrauit pinacothecam senex canus, exercitati uultus et qui uideretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus, ut facile appareret eum <ex> hac nota litterat<or>um esse, quos odisse diuites solent. Is ergo ad latus constitit meum.

"Ego, inquit, pœta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. - Quare ergo, inquis, tam male uestitus es ? - Propter hoc ipsum. Amor ingenii neminem unquam diuitem fecit.

*Qui pelago credit, magno se fenore tollit ;  
 qui pugnas et castra petit, præcingitur auro ;  
 uilis adulator picto iacet ebrius ostro,  
 et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.  
 Sola pruinosis horret facundia pannis,  
 atque inopi lingua desertas inuocat artes.*

[LXXXIV] "Non dubie ita est : si quis uitiorum omnium inimicus rectum iter uitæ cœpit insistere, primum propter morum differentiam odium habet ; quis enim potest probare diuersa ? Deinde qui solas exstruere diuitias curant, nihil uolunt inter homines melius credi, quam quod ipsi tenent. Insectantur itaque, quacunque ratione possunt, litterarum amatores, ut uideantur illi quoque infra pecuniam positi." <...> Nescio quo modo bonae mentis soror est paupertas.